

electiones politicas et administrativas. Decreto XIV quæsitum est a S. Sede ut erigerentur provinciæ ecclesiasticæ Torontina et Sti Bonifacii; Sancta Sedes indulgit huic voto, et die 17 Martii 1870, provincia Torontina, die 22 Sept 1871, provincia Sti Bonifacii fuerunt erectæ.

V Concilium fuit habitum, anno 1873, præside Ill^{mo} Archiepiscopo Taschereau. Potissimum decretum respicit modum providendi sedi episcopali vacanti; hoc decretum, quod jacet inter acta sub numero XVI, fuit approbatum in *forma speciali*, et alia decreta fuerunt revisa et recognita anno 1874.

VI Concilium fuit habitum, anno 1878, præside eodem archiepiscopo Taschereau. Notantur decreta circa obligationem emittendi fidei professionem, circa munus cleri in electionibus politicis, circa nonnulla fidei pericula vitanda. Anno 1881, S. C. de Prop. Fide permisit decretorum vulgationem.

VII Concilium fuit habitum, anno 1886, præside Emin^{tissimo} Cardinali Taschereau. Notantur decreta circa statum clericalem, circa testamentum a viris ecclesiasticis condendum, circa jurisdictionem, de scholis puerorum, de scriptoribus catholicis. Omnia decreta fuerunt revisa et recognita anno 1888.

25. Provincia ecclesiastica Halifaxiensis fuit erecta die 4 Mai 1852, et anno 1857 habitum est I concilium provinciale.

Provincia ecclesiastica Sti Bonifacii fuit erecta die 22 Sept. 1871, et primum concilium provinciale fuit habitum anno 1889; decreta fuerunt recognita anno 1892.

Provinciæ Marianapolitana et Ottawiensis fuerunt erectæ die 8 junii 1886; Marianapoli habitum est concilium anno 1895, ejus decreta nondum fuerunt typis mandata.

Provincia Kingstonienis fuit erecta die 28 Julii, anno 1889.